

Confirm. Motus, seu mutatio, est actus entis in potentia: sed Deus est actus purus; ergo mutari non potest. *Min.* retro fuit probata, (Thes. VII).

63. Objic. 1.º Deum poenitere, irasci, converti, aliisque affici passionibus, passim Scriptura S. testatur: ergo mutationibus subjicitur.

Resp. Dicitur Deum eo modo affici *metaphorice*; conc. *Proprie*; negatur. Pari modo dicitur; manus habere, et os, etc.

Objic. 2.º *Omnium mobilior est sapientia*, divina, scilicet (1): ergo mutatur.

Resp. *Mobilior* virtualiter, quatenus omnia movet; conc. Formaliter; nego.

Objic. 3.º Deus in tempore creavit mundum: sed creare est agere, actuari: ergo in tempore Deus actuatus, ideoque mutatus est.

Resp. Dist. *min.* Agere est *actuari*, formaliter; nego: agere enim non est actuari sed actuare. Agere est *actuari*, si supponitur agens in *potentia*; concedo, tunc agentem actuari materialiter et per accidens. Cum Deus sit actus purus, numquam actuazione ulla indiget ut agat quae decrevit agere.

Inst. Nunc Deus est Creator, cum antea non esset; nunc cognoscit existere mundum, quod prius non cognoscebat; sed esse Creator, cognoscere, significat quippiam reale in Deo; ergo mutatus est.

Resp. Dist. *min.* In Deo *tantum*; nego *min.* Simul in Deo et in termino creationis et cogitationis; conc.

Jam vero, quod nunc *sit* Creator, et nunc *cognoscat*, provenit ex mutatione termini, non vero ex mutatione Dei: ab aeterno enim habuit eundem, quo creat et cognoscit, actum.

64. II.ª Pars prob. 1.º Concil. Vatic. docet. «Sancta catholica Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum... aeternum, »immensum, incomprehensibilem...» (C. *Dei Filius*, cap. I.)

2.º SS. Scripturae clare loquuntur. *Vivo ego in aeternum* (2): *Dominus in aeternum permanet* (3): *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul; Deus solus justificabitur et manet invictus rex in aeternum* (4).

3.º Propria et perfecta aeternitas excludit initium, finem et quamlibet successionem; quod enim successionem patitur, secundum aliquid desinit esse. Sed Deus, ens necessarium, initium et finem habere non potest; successio autem quaevis illi repugnat, quia immutabilis existit: ergo aeternus est.

(1) Sap. VII, 22.—(2) Deut. XXXII, 40.—(3) Ps. IX, 8.—(4) Eccli. XVIII, 1.

Confirm. Duratio transiens, vel successiva, concipi nequit sine aliqua potentialitate: sed Deus est actus purus per essentiam; ergo et aeternus essentialiter.

65. Objic. 1.º Aeternitas rebus pluribus in SS. Litteris tribuitur; sed convenit illis improprie, seu metaphorice; ergo impropria etiam de Deo censi potest.

Resp. Dist. *min.* Convenit illis metaphorice, cum rerum adjuncta sensum exigunt improprium; conc. Aliter; nego *minorem*, et inde *consequentiam*.

Objic. 2.º Patres nonnulli aeternitatem soli Patri concedunt: ergo Dei non est attributum.

Resp. Dist. *ant.* per *appropriationem*, ut in schola dicitur, soli Patri convenit; conc. juxta proprietatem; nego *ant.* Cum enim solus Pater absque origine et processione subsistat, illi, ex *congruentia*, *appropriatur* seu attribuitur aeternitas.

66. III. Pars prob. 1.º Ex Vat. Conc. (ibid.): «Sancta Ecclesia »credit unum esse Deum... aeternum, immensum.» In Symb. Athan. «Immensus Pater, immensus Filius, immensus Sp. »Sanctus.»

2.º Propheta ait: *Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus* (1). Et Salomon: *Coeli coelorum te capere non possunt*, (2).

3.º Athanasius, dicit (3): «Ne quaeritis loci magnitudinem, »ut quae possit Dei magnitudinem capere; non enim immensum »in menso est.»

Cyrillus Hierosoly. (4): «In loco minime definitus, sed locorum opifex; in omnibus existens et a nullo circumscriptus; »unus est ubique praesens.»

Haec sint in exemplum; nam una est Patrum doctrina.

67. 3.º Ad rationem intelligendam prae oculis habendum, triplicem dari rerum praesentiam; per cognitionem, aut per actionem, aut per essentiam. De prima agetur, cum Dei omnimodam scientiam ostendemus; de secunda, ubi de divina potentia creante et conservante; de tertia hic est quaestio: quod Dei, nempe, substantia, seu essentia in omnibus necessario existat locis, vi suae immensitatis absque ullo motu.

68. a) Ratio fundamentalis est, quia praesentia ejusmodi est perfectio; in entibus quidem finitis non sine imperfectione aliqua, quum sit limitata, in se autem est perfectio pura. Sed in Deo sunt perfectiones omnes quavis dempta imperfectione: ergo Deus habet

(1) Baruch, III, 25.—(2) III, Reg. VIII, 27.—(3) *Contr. Sabell.* n. 10.—(4) *Cateches.* 6.

praesentiam, secundum essentiam, prorsus illimitatam, seu est immensus.

Majoris veritatem jure possemus uti certam assumere, et a philosophis demonstratam: verum quia nonnulli incaute eam prorsus evertunt, paucis confirmare juvabit.

Ut ens reale praesentiam accipiat, determinari virtute aliqua reali ac positiva debet. Sed nisi praesentia foret vera ac realis perfectio, non opus esset virtute ulla ad eam assequendam: ergo praesentia perfectionem aliquam sibi vindicat.

Maj. patet. Non enim sufficit quod ens existat, quod producat secundum essentiam, ut sit hic vel ibi praesens, Romae, ex. gr. Ergo determinari debet; haec autem determinatio non est fictio, seu solae rationis inventum; est igitur realis, seu ex virtute reali et positiva.

Confirm. Quum ens determinatam acceperit praesentiam, ut eam deponat, aliamque accipiat, opus est quoque virtute aliqua et actione reali ac positiva: puta, ut transferatur a basilica Sti. Petri, ad illam S. Pauli. Atqui si praesentia nihil haberet entitatis, seu perfectionis, ut una in aliam mutaretur nullius opus esset realis potentiae et actionis: ergo perfectionem et entitatem indicat rerum praesentia.

69. b) Dei immensitatem possumus insuper probare; quia vel Deus omnem omnino possibilem habet essentialem praesentiam, vel nullam, ita ut nullibi sit. Sed quod nullibi sit praesens est falsum et absurdum. Ergo est ubique necessarioque praesens.

Maj. patet. Quia nihil limitatum in Deo invenitur: si ergo aliqua conceditur Dei substantialis praesentia, omnis possibilis est concedenda.

Minor autem sensu communi aperte constat, et Scripturarum testimoniis: *Si ascendero in coelum tu illic es; si descendero in infernum, ades* (1). *Non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur et sumus* (2).

70. *Objic.* 1.° Deus non est ubique: ergo immensus esse non potest.

Ant. prob. *Coelum coeli Domino* (3): *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (4).

Resp. Dist. ant. Non est ubique essentialiter; nego: actione aliqua speciali; conc. Etenim in coelo praesens est visione intuitiva, qua beatis se ostendit; in justis autem, sanctificatione gratiae, qua eis communicatur. Non omnibus ergo actionibus est ubique secundum potentiam praesens.

(1) Ps. CXXXVIII, 8.—(2) Act. XVII, 27, 28.—(3) Ps. CXIII.—(4) Jo. XIV, 23.

Objic. 2.° Deum esse in loco plures negant Patres. Ergo neque in omni loco esse potest.

Resp. Explico *antec.* Esse in loco *circumscriptive* vel definitive, ad modum aliarum rerum: conc. Esse enim *in loco*, communi loquendi modo, non sine aliqua *determinatione* dicitur ad talem locum; ideo negant Patres Deum in loco existere. Negamus autem eos excludere immensitatem, seu esse in omni loco sine mensura, sine ulla determinatione.

Objic. 3.° Si Deus est totus in singulis locis, multiplicatur; si solum totus in toto loco, diffunditur et extenditur: ergo in nullo existit loco.

Resp. Nego primam *antecedentis* partem. Nam simplex una et infinita Dei praesentia id praestat, quod omnes et singulae finitae rerum praesentiae praestare valent: unde sine extensione et diffusionem est ubique et immensus Deus, totus in toto loco, totus in singulis locis, quin multiplicetur.

THESIS XV.

Deus est incomprehensibilis omni creato intellectui et ineffabilis.

71. Thesis fide certa, quoad utramque partem, dicenda.

Pars I prob. 1.° *Conc. Vat.* (1) ait: «Sancta Catholica Ecclesia credit et confitetur unum Deum... incomprehensibilem.» Quod et definiverat *Later. IV. c. Firmiter.*

2.° *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu*, ait *Jeremias* (2).

Et *Paulus* (3): *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus.*

3.° Patres consentiunt. *Gregor. Naz.* (4): «Quorsum haec »disserui... Ut ostenderem... Deum totum quantus est, nec cogitari atque animo informari posse.» Et iterum: «Quemadmodum »nemo est, qui aërem totum unquam hauserit; ita Dei naturam nec »mens unquam ulla prorsus concepit, nec vox ulla complexa est.»

Augustinus (5): «Videre Deum in propria natura, promittitur Sanctis in alia vita... Non quia Dei plenitudinem quisquam, »non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit. Aliud est enim videre, aliud est totum videndo comprehendere.»

Damascenus (6): «Deus neque oratione ulla explicari, nec »ullo modo comprehendi potest.» *Rationem ipse tradit* (7): «Quod

(1) *Const. Dei Filius*, cap. I. — (2) *Cap. XXXII*, 19. — (3) *Rom. XI*, 33. — (4) *Orat. 27*, et *Orat. 30*. — (5) *Ep. 147*, n. 21, *Cl. III*. — (6) *De Fide*, l. 1, c. 1. — (7) *C. 4*, *ibid.*

»cognitionem superat, supra essentiam quoque erit: infinitus igitur est Deus et incomprehensibilis.»

72. 4.^o Comprehendere est mente amplecti, seu exhaurire, objecti apprehensi intelligibilitatem; vel, ut explicat D. Angelicus, cognoscere objectum, *quantum est cognoscibile* (1). Atqui repugnat Deum ab intellectu creato intelligi quantum est intelligibilis: ergo et comprehendi.

Min. prob. Intellectus divinus non superat, sed adaequat solum Dei intelligibilitatem. Atqui intellectus divinus habet vim intelligendi infinitam et superantem infinite quamlibet creatam intelligitiam: ergo quaevis creata intellectio infinite distat a Dei intelligibilitate, ideoque repugnat Deum ab intellectu creato comprehendi. *Maj.* et *min.* patent ex dictis supra (2); quod Deus, scilicet, est suum intelligere, et suum esse, et ipsum esse, et ipsum verum: unde in illo intelligibilitas, et intelligere, et vis intelligendi sunt infinita et identificantur.

73. Objic. Quaelibet res est cognoscibilis a Deo: nulla ergo poterit nisi a Deo comprehendi; quia, quantum est divinitus cognoscibilis, nullus unquam alius intellectus poterit rem aliquam cognoscere.

Resp. nego suppositum. Quum enim dicimus, *quantum est cognoscibilis*, non intelligimus cognoscibilitatem *extrinsecam*, seu per denominationem ab intellectu cognoscente; sed radicalem et intrinsecam, quae sita est in veritate objecti transcendentali. Haec ergo intelligibilitas, de qua nos agimus, est illa, quae adaequate expletur, seu exhauriretur, si objectum se ipsum intelligeret vi intellectiva omnino aequali suae perfectioni. Unde quod a Deo intelligibilis sit res omnis finita, non pertinet vel requiritur ad hujus comprehensionem, sed ad *super comprehensionem*: et propterea Deus non super comprehendit se ipsum, quia non excedit vis ejus intellectiva intelligibilitatem suam.

74. II. Pars deducitur ex priori. Nam quod non potest mente comprehendi, neque poterit verbis explicari. Ideo Later. Conc. (ibid.) ait: «Credimus quod unus et solus est verus Deus... incomprehensibilis, ineffabilis.» Confirm. ex Nazianzeno et Damasceno in I.^a parte laudatis.

(1) I, p. q. 12, a. 7.—(2) Thes. VIII; coroll. Thes. XI.

SCHOLIA

De natura comprehensionis.

Ad pleniorum hujus celebris, gravissimaeque quaestionis intelligentiam nonnulla adjiciemus.

75. *Comprehensio* dicitur aliquando pro simplici assecutione rei, ut loquitur Paulus ad Corinthios (1). Nonnumquam autem pro quavis perspicua intellectione; ut ipse Paulus ad Ephesios (2). Denique *comprehensio* stricte dicitur, ut in thesi explicatum.

76. II. In quo autem sensu haec stricta *comprehensio* sit praecise intelligenda, non exigua est disceptatio. Aliqui Theologi, ut Ariaga, Merati, etc. putant, non esse de fide, quod Deus sit *absolute* incomprehensibilis; quia argumenta allata explicari possent de praesenti vitae statu, non vero pro casu beatificae visionis. Fatentur tamen falsam ac temerariam fore opinionem, quod possint beati Deum comprehendere. Videntur autem AA. isti in contradictionem decidere: si enim *certum est*, a beatis quoque non posse Deum comprehendi, oportet definitiones praedictas fidei in sensu absoluto, uti sonant, accipere: hic enim sensus certus est, ut fatentur, et aliunde nullo modo in illis innuitur quod sit restringendus. Propterea, cum Suarezio, dicimus; esse de fide, non posse, neque de potentia absoluta, Deum a creatura ulla comprehendere.

77. III. Quid autem requiratur, vel sufficiat, ut intelligatur objectum quantum est intelligibile, non facile est definire.

Praetermissis nonnullis minoris momenti opinionibus praecipue in quaestionem vocatur; utrum illud *quantum est intelligibile*, seu cognoscibile, accipiendum sit de quantitate *extensiva*, an etiam de *intensiva*.

Objecti intelligibilitas *extensiva* constituitur per ea omnia quae in illo sunt formaliter et eminenter: *intensiva* autem est illa claritas talis vel tanta, qua capax est, postulatque objectum intelligi. Censent igitur communi consensu theologi, ad strictam comprehensionem esse prorsus necessarium, ut omnia illa intelligantur, quae objecto insunt formaliter vel eminenter; idque clare, distincte, certo. Si enim obscure, vel probabiliter tantum dignoscerentur, plusquam apertum est, non posse id comprehensionem vocari; obscura enim ac probabilis cognitio non est sine aliqua objecti ignorantia. Utrum autem haec *extensiva* comprehensio necessario conjungatur cum *intensiva*, vel se junctim esse possit, cardo est dif-

(1) I, c. IX, 24.—(2) III, 18.

facultatis. Discipuli D. Thomae communiter sentiunt unam ab alia comprehensione sejungi non posse; quod solidis probat Suarezius (1) argumentis in Tract. *de Incarnat.* Alii è contra, affirmant separari posse, ideoque non comprehensurum beatum Dei essentiam, absolute et simpliciter loquendo, ex eo tantum quod omnia videret, quae in Deo formaliter et eminenter existunt: etenim, ajunt, non idcirco pertingeret ad eam summam claritatem, qua se ipsum Deus videt et comprehendit, postulatque videri.

78. IV. D. Thomas videtur ex altera parte, cum Suarezio aliisque suis stare discipulis, dum ait (2): «Quaedam sunt in sola »divina potentia; et ejusmodi non omnia cognoscit in Verbo anima »Christi: hoc enim esset comprehendere omnia quae Deus facere »potest, quod esset *comprehendere* divinam virtutem, et per conse- »quens divinam essentiam.» Et secundam solvens difficultatem mentem suam penitus aperire videtur: «Deus *in tantum perfectius* »cognoscit suam essentiam quam anima Christi, quod eam compre- »hendit. *Et ideo* cognoscit omnia, non solum quae sunt in actu... »sed etiam omnia quaecumque facere potest.» Non ergo disjunctur comprehensiones in Deo, intensiva et extensiva, sed una per aliam constituitur et intelligitur.

Verum è contra, alteri videtur accedere sententiae, quum (ibidem) ad tertiam respondet objectionem: «Quantitas scientiae non »solum attenditur secundum numerum scibilium; sed etiam secundum claritatem cognitionis. Quamvis igitur scientia animae Christi, quam habet in Verbo, parificetur scientiae visionis, quam Deus »habet in se ipso, quantum ad numerum scibilium; scientia tamen »Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, scientiam animae Christi; quia lumen increatum divini intellectus...»

Notemus tamen in his verbis nihil de *comprehensione* dicere, sed de illa loqui perfectione scientiae, quae *claritas* dicitur; hanc autem dicit pendere in Deo ex lumine increato; in anima vero Christi, ex lumine gloriae creato. Deinde ne putaremus hujusmodi excessum subjectivum, ex parte luminis, posse esse sufficiens discrimen formale scientiae comprehensivae, subdit immediate: «Licet absolute »loquendo, scientia divina excedat scientiam animae Christi, non »solum quantum ad modum cognoscendi, sed etiam quantum ad »numerum scibilium, ut dictum est.»

79. V. His ergo praemissis; **Dico:** licet ubi agitur de rei creatae comprehensione possit major vel minor claritas adjungi; tamen ad Dei extensivam comprehensionem summa et infinita opus est clari-

(1) In 3 p. disp. 26, Sec. 1.—(2) 3. p. q. 10, a. 2.

tate; ideoque omnia quae in Deo formaliter et eminenter existunt, a nullo possunt intellectu creato, ne extensive quidem, comprehendi.

Prima propositionis pars a nullo, puto, negabitur: quia si Angelus comprehendit essentiam suam, illam superior Angelus majori lumine et claritate intelliget, Deus vero longe, imo infinite majori.

79. Secunda autem pars probatur. 1.º *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (1). Hic de extensiva sermo est comprehensione, ut patet; tamen ut propria Dei exhibetur, ideo sancti Patres inde divinitatem Spiritus Sancti probant.

2.º Patres dum Deum incomprehensibilem declarant, de extensiva se loqui aperte significant. Augustinus (loco supra cit.) ait: «Totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut »*nihil ejus* lateat videntem.» Ambrosius (ut refert ibidem August.) dicit: «Deum nemo vidit umquam: quia eam, quae in »Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo »mente aut oculis comprehendit.»

Perpendas quoque Gregorii M. verba (2): «Nec ita videbimus, sicut videt ipse se ipsum. Longe quippe dispariliter videt »Creator se, quam videt creatura Creatorem. Nam *quantum ad »immensitatem Dei*, quidam nobis modus figitur contemplationis, »qui eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus.» Ecce igitur, non ex sola intensitate visionis, seu claritate, sed ex parte ipsius objecti modus et circumscriptio existit.

Vide, in thesi, Greg. Nazianzeni verba, quae id confirmant. Athanasius autem, Pauli supra laudata expendens verba, ait (3): «Sat haec ad persuadendum vel cuivis contentioso, »ne dicat creaturam esse Dei, eum qui est in Deo, *quique profunda Dei scrutatur.*»

80. 3.º Extensiva Dei comprehensio in eo consistit, quod evidenter dignoscatur quidquid veritatis, sive formaliter sive eminenter, in Deo existit. Sed ad istud summo et infinito opus est lumine intellectivo; ideoque infinita claritate: ergo ad Dei extensivam comprehensionem infinita requiritur claritas.

Min. prob. Lumen intellectivum Dei, et veritas objectiva ipsius; seu, Deus ut *intelligens*, et ut *veritas* adaequate sumpta, aequae infinitus et omnino idem existit: sed ad veritatem infinitam, et identificatam cum infinito lumine, adaequate dignoscendam, opus est lumine intellectivo infinito; ergo, ad... etc.

(1) I Cor. II, 10. — (2) Lib. 19, in c. 27. B. Job. — (3) Ad Serapion. ep. 3, n. 2.

Min. duplici ratione est apertissima; prima, quia alias non esset proportio inter vim intellectivam, et objectum quod dignoscendum est: secunda; quia aliter *esse* Dei non esset suum *intelligere*, seu suum lumen intellectivum. Si enim *esse* Dei est suum lumen intellectivum, actus essendi, et actus claritasque intelligendi sunt necessario aequalia, imo idem: ergo ad veritatem infinitam et lumen infinito identificatam adaequate intelligendam requiritur lumen infinitum.

Confirm. *Comprehensio*, vi suae significationis, seu in sensu obvio ac naturali vocis, significat mente objectum ambire, nihil ejusdem extra conceptionem linqere; ut explicat Augustinus (1): «Quod ita videtur ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt.» Ergo opinio illa, quae praeter hoc postulat quemdam in lumine, seu claritate intellectionis, excessum et gradum, recedit ab obvio et naturali doctrinae catholicae sensu.

81. *Objic.* 1.^o Certum est, ex communi consensu, non sufficere ad comprehensionem, cognitionem obscuram *omnium* quae objecto insunt; requiri autem cognitionem claram: atqui potest objectum esse dignum et capax cognitionis *clarioris*, aut *clarissimae*: ergo in data hypothese ad comprehensionem *extensivam* non erit necessaria *intensiva*. Igitur in Deo id accidere non est negandum.

Resp. 1.^o Permitto totum, et nego paritatem et ultimam consequentiam. Probatum est in thesi inseparabilem esse in Deo utramque comprehensionem.

Resp. 2.^o Dist. *min.* Objectum potest esse dignum clarioris cognitionis, si per cognitionem claram extensive non comprehendatur; conc. Aliter nego *min.* Si enim per illam claram cognitionem objectum formaliter, et eminenter, et quoad *omnes respectus* adaequate et clare cognoscitur, ut quid fingitur *dignum* et capax majoris claritatis? Nulla jam in eo superest dignitas, aut exigentia illius excessus, sed potius ut accidentalis, et ultra ejusdem dignitatem et capacitatem, adjungitur.

82. *Objic.* 2.^o Ut amor sit *intensive* comprehensivus non sufficit amare omnia quae formaliter et eminenter in objecto sunt; opus est *intensione* amoris digna tali objecto. Ergo idem de cognitionis claritate dicendum, seu comprehensione.

Resp. neg. paritatem. Amor enim impulsus, tendentiam in bonum secum fert; in hoc sane gradus diversi, objecto eodem permanente, concipiuntur. Cognitionis autem clara est imago et similitudo objecti: atqui cum objectum adaequate representatur *quoad omnia*, plus adhuc assimilari ac representari, est contradictorium.

(1) Ep. 147, seu 112, c. 9.

83. *Objic.* 3.^o Deus non tantum omnia perspicit, quae in se sunt formaliter et eminenter, sed etiam infinita claritate ea intuetur. Si ergo illud prius ad absolutam comprehensionem sufficit, dicere oportebit, Deum non tantum se comprehendere, sed *super-comprehendere*; quod suam videtur infinitatem dedecere.

Resp. Nego suppositum in *minori*. Supponitur enim quod infinita divini intellectus claritas excedat, seu non requiratur, ad omnia clare intuenda, quae in Deo sunt formaliter et eminenter. Hoc autem negamus propter traditas supra rationes.

84. *Objic.* 4.^o Nequeunt clare cognosci omnia quae formaliter et eminenter in Deo sunt, quin entia alia dignoscantur. Sed comprehensio Dei nequit constitui formaliter per cognitionem aliorum entium; ergo comprehensio simpliciter dicta, non est comprehensio extensiva, id est, cognitio eorum *omnium* quae in Deo sunt formaliter et eminenter; sed intensiva, id est, summa claritas in Dei cognitione.

Min. probatur: «Quod per visionem essentiae divinae intelligantur omnia vera, etiam quae sunt a Deo distincta, haec non est *formalis ratio* comprehensionis essentiae in se ipsa, sed est aliqua *proprietas* vel aliquod consequens *comprehensionem*» (1). Sic praeclarus ac recens theologus.

Confirm. «Formalis ratio inaequalitatis in visione intuitiva, quae omnes beati vident Deum sicut in se est, quatenus est visio essentiae ut objecti primarii, constituitur majori vel minori intensione et claritate visionis, non autem majori vel minore *extensione* quoad objectum secundarium, licet haec differentia extensionis ex differentia *intensionis* consequatur. Ergo eodem modo discrimen formale inter comprehensionem et *visionem intuitivam* declarandum est ex visione ipsius objecti primarii; quoad hoc autem non differunt *extensione* sed solum *intensione et claritate*» (ibid.)

85. *Resp.* Dist. *min.* Nequit constitui formaliter per cognitionem aliorum entium, *adaequate*; conc. *Inadaequate*; subd. Per cognitionem *directam*; conc. Per cognitionem in ipsa, seu per ipsam divinam essentiam; nego.

Ad rationem: Dist. Est aliqua proprietas consequens comprehensionem *inadaequate* sumptam; conc. *Adaequate* sumptam nego.

Ad confirm. Dist. Non autem majori vel minori *extensione* quoad objectum secundarium *directe* cognitum; conc. Per essentiam cognitum: subd. Non constituitur adaequate; conc. *Inadaequate*; nego.

Tota haec difficultas quamdam prae se fert ambiguitatem quae in falsam posset opinionem inducere, in Scholio rejectam.

(1) Emm. Franzelin, *De Deo Uno*, pag. 240.

Luminis et claritatis *intensio* potest duplici modo considerari: vel quatenus est cognitionis perfectio et ornamentum; vel quatenus in objectum refertur et illud aliquatenus *scrutatur*. Primo sensu, negamus diversitatem visionis intuitivae, ideoque et comprehensionis ac visionis differentiam, constitui formaliter tantum ex majori vel minori *intensioe et claritate*. Alio sensu, concedimus; at tunc differentia pendet etiam ab *extensione* objectiva.

86. Illi sane Auctores qui, ut Vazquez, etc., censent nullam esse intrinsicam habitudinem inter Deum et possibilia; vel putant esse possibile videri a creatura omnia possibilia; hanc, quam non probamus, doctrinam debent sustinere.

At cum Cl. Theologus defendat praedictam habitudinem, et neget eam creaturae potestatem; inde fateri oportet, non posse Deum *formaliter* comprehendere, nisi possibilia omnia in ipsa *formali* comprehensione dignoscantur. Comprehensio enim rei cuiusvis exigit *formaliter* cognitionem omnium habitudinum ipsius, ideoque et terminorum. Alias eodem jure dici posset, formalem comprehensionem actionis non includere cognitionem termini; et comprehensionem Patris et Filii non exigere *formaliter* cognitionem Sp. Sancti.

Intensiva cognitionis claritas sane requiritur ad comprehensionem objecti; verum eatenus necessaria est, quatenus per eam plus objectum, vel formaliter vel eminenter, explicatur: ita Suarezius, vestigia quidem sequens D. Thomae. Exponens enim Angel. Doctor quid sit Deum *totaliter* videre ait (1): «Hoc adverbium *totaliter*, neque dicit modum videntis absolute, neque modum absolute rei visae; sed modum videntis per comparisonem ad rem visam. Hoc enim adverbium determinat ipsam visionem, secundum quam comparatur videns ad visum.» Et alibi (2): «Dicitur aliquid comprehendere, quando pervenitur ad finem cognitionis ipsius; et hoc est, quando res cognoscitur ita perfecte sicut cognoscibilis est... Est unumquodque cognoscibile secundum modum *sui actus*: non enim cognoscitur aliquid secundum quod est in potentia, sed secundum quod est *in actu*. Tanta est autem virtus Dei in cognoscendo, quanta est *actualitas* ejus in existendo... Unde manifestum est quod tantum se ipsum cognoscit, quantum cognoscibilis est, et *propter hoc se ipsum perfecte comprehendit.*»

Ex objecto ergo cognito et *actu* ipsius (formali vel eminenti) repetenda est comprehensio, et non ex *intensioe et claritate* cognitionis solum.

(1) 4, dist. 49, a. 3, ad 3.^m — (2) 1.^a q. 14, a. 3.

THESIS XVI.

Deus est naturaliter nobis invisibilis; imo omni creaturae.

87. Nota I. Illud *naturaliter* significat; secundum vires naturis existentibus debitas. Nam utrum sit possibilis substantia aliqua, cui connaturalis sit visio Dei, praesens in tempus omittimus.

II. Quid proprie sit visio vel intuitio, non omnes in eo consentiunt Auctores. Tamen licet de hoc disputari posse concedamus, certum est, in vero et proprio visionis sensu, non posse Deum naturaliter videri.

III. Putant aliqui notitiam habitam per proprias species, etsi praescindat ab existentia et praesentia objecti, esse intuitivam. Communis autem doctrina est, cognitionem claram, immediatam, per proprias habitam species, fore *stricte intuitivam*, dummodo referat existentiam et praesentiam objecti; notitiam autem per species alienas, esse *stricte abstractivam*: quae autem habetur per species proprias, est *late* intuitiva et *late* abstractiva.

IV. Quatenus ad homines refertur propositio, est fide certa: prout vero respicit angelos, theologice certa dicenda, et probabilius de fide.

88. Prob. I.^a pars. 1. Ex Vat. Conc. «Divina mysteria... fidei velamine contacta et quadam quasi caligine obvoluta manent; quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, et non per speciem» (1). Patet, ita nos dici absentes a Deo, ut inde sequatur nos ambulare per fidem, et mysteria non intelligere: sed si possemus in hac vita Deum videre, absentia talis et peregrinatio a Domino non induceret caliginem et fidei necessitatem; ergo, nobis est Deus invisibilis.

Confir. Clemens V, cum Conc. Vienn. damnavit errorem, «quod anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante, ad Deum videndum, et eo beate fruendum.»

2.^o Apostolus ait (2). *Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem. Quem nullus hominum vidit, neque videre potest.*

Sine luce impossibilis omnino existit rei visio; si igitur ad lucem ipsam, quae Deum illuminat, accedi non potest, necessario est invisibilis. Vide insuper Joannem in Evangelio (3).

89. 3.^o Ambrosius docet (4): «In potestate nostra non est Deum videre, sed in potestate illius est apparere.»

(1) Const. Dei Filius, cap. 4. — (2) I Timot. VI, 16. — (3) I, 18. — (4) In Luc. c. I, n. 16.

Epiphanius etiam (1): «Deum quidem videri, praesertim ab humana natura, non posse fatemur.»

Hieronymus quoque (2): «Tunc mente cernitur Deus, quando invisibilis creditur.»

Athanasius confirmat (3): «Si quis Deum, qui ex natura invisibilis, nec ullo modo videri potest, intueri velit, eum ex operibus intelligit.»

Ita communiter SS. Patres adversus Anomoeos.

4.º Si posset homo naturaliter Deum intueri, esset etiam naturaliter beatus. Sed beatitudo est supra naturam: nam, *Gratia Dei vita aeterna* (4); *Nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* (5): ergo Deum videre naturaliter nequimus.

Confirm. ex dicendis in II.ª parte.

90. Pars. II.ª prob. 1.º *Deum nemo vidit unquam; Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Ex quibus sic arguitur: visio Dei, est proprietas Unigeniti, Patri consubstantialis: ergo nulli creaturae est connaturalis. Ant. prob. Deum neminem vidisse nisi Unigenitum ideo asserit Joannes, ut probet eum solum esse auctorem gratiae et veritatis; sed si posset aliqua creatura naturaliter videre Deum, nullatenus id probavisset: ergo Deum videre est Unigeniti proprium.

Item Apostolus (6): *Regi saeculorum, immortalis, invisibilis, soli Deo honor et gloria.* Has laudes Deo absolute tribuit Apostolus, utpote supereminenti et exaltabili super omnem creaturam per sua ipsius attributa; sed nisi foret creaturae cuilibet Deus invisibilis, neque absolute, neque tanta cum excellentia et gloria hoc praedicaretur attributum: ergo Deus est naturae invisibilis.

91. 2.º Athanasius dicit (7): «Deus ejus naturae est, quae videri et comprehendi nequeat, omnemque creatam substantiam transcendat;... eam ob rem naturam creatam suo Verbo tam apte composuit, ut quia ipse ex sui natura videri non potest, saltem ex operibus ab omnibus cognosci possit.»

S. Archelaus (8): «Una et sola inconvertibilis est divina substantia, aeterna et invisibilis, sicut et omnibus notum est, secundum illud quod scriptum est: *Dominum nemo vidit unquam, nisi Unigenitus Filius qui est in sinu Patris.* Reliquae ergo omnes creaturae visibiles sint necesse est; coelum..... homines, angeli, archangeli: Deus autem etc.»

Arnobius (9): «O maxime, o summe rerum invisibilium pro-

(1) Haeres. 70. — (2) In Isai. c. I, v. 10. — (3) De Incarn. n. 54. — (4) Rom. VI, 23. — (5) I Cor. II, 9. — (6) I Timot. I, 17. — (7) Contra Gentes, n. 35. — (8) Disput. cum Maximo, n. 32. — (9) Advers. Gentes, n. 10.

»creator! O ipse invise et nullis unquam comprehense creaturis!»

Titus Bostrensis (1): «Divinae et angelicae potestates non possunt intelligere quid consilii capiat Pater, solusque Filius intelligit et enarrat; *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius...*»

S. Caesarius (2): «Non est ulla natura quae sit capax ejus (Dei) aspectus.»

S. Amphilochius (3): «Credo in unum Deum..... incomprehensibilem, invisibilem, superantem cogitatum.»

Gregor. Naz. (4): «Deus summum et inaccessible ac ineffabile lumen est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest.»

In Orat. autem Theologica II, ait, eam tantum posse nos Majestatem Dei assequi, quae in rebus creatis et gubernatis elucet: «Quamvis etiam Moyses sis, Deusque Pharaonis, quamvis ad tertium usque coelum, instar Pauli, abreptus fueris; quamvis etiam supra illos evecus, angelicam quamdam aut archangelicam sedem et ordinem sis consecutus. Creatum enim omne, sive coeleste, sive supercoeleste, licet sublimiori quam nos natura praeditum, Deoque vicinius, longiori tamen intervallo a Deo, ac plena cognitione distat, quam quo compositam hanc nostram naturam et abjectam, atque humi vergentem massam superat.»

92. 3.º Vi sua cognoscitiva ens creatum non potest ullam cognoscere veritatem, nisi ad modum veritatis, seu intelligibilitatis sui ipsius. Sed Deus intueri in se ipso non potest dum intelligitur ad modum intelligibilitatis entis creati: ergo est cuilibet invisibilis creaturae.

Maj. elucet exemplis: etenim, potentiae cognoscitivae corporeae, non nisi corpora, vel ad modum corporeae imaginis cognoscunt; intellectus hominis omnia concipit, quasi ex actu et potentia, subiecto et forma, determinato ac determinante constituta.

Ratio est; quia vis naturalis cognoscitiva est proportionata naturae cui inest; ergo quidquid cognoscat, ad modum suae naturae cognoscat.

Confirm. Intelligibilitas Dei est secundum modum essendi ipsius: sed modum essendi Dei esse supra omnem creatum in essendo modum, supra probatum fuit: ergo intelligibilitas Dei est supra omnem intelligibilitatem creatam: subsumo; sed cuilibet intellectui creato est connaturalis aliqua intelligibilitas creata; ergo nulli creato intellectui est connaturalis intelligibilitas Dei (5).

(1) Contr. Manichaeos, L. 2. — (2) Dialog. 1, interrog. 41. — (3) Biblioth. PP. 6, p. 503. — (4) Orat. 40 in S. Bapt. — (5) V. etiam Proposits. septem priores, inter Rosminianas, a Leone XIII reprobatae.